



*Abb. 17.*



4  
EPISTOLA GRATULATORIA,

QVA

VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO,

**DN. CAROLO JOACHIMO  
SIBETH,**

Pastori cœtus Mariani Sundensis, Judiciiqve causarum  
Sacrarum, quod in illa Civitate fovetur, Affessori  
fidelissimo prudentissimoqve,

Honores Doctoris Theologi inter festiva  
Jubila in Gryphica Musarum sede ao. 1730.  
die 15. Dec. solenni ritu collatos  
felices apprecatur,

simulqve:

*An SECTÆ Vocabulum Confessionis Augustanae genuinio  
sociis jure tribui queat, exquirat & sectæ PUTZKEL-  
LERORUM, quæ Patriam olim nostram turbavit,  
domesticum exemplum in scenam producat.*


**ALBERT GEORG SCHWARTZ,**

Prof. Hon. & Fac. Phil. Adj.

---

GRYPHISWALDIÆ,

Typis hæredum B. STARKII, Reg. Acad. Typogr.



VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

DOMINO

CAROLO JOACHIMO SIBETH,

*Fautori atq; Amico suo Aestimatissimo,*

ALBERT GEORG SCHWARTZ

S. P. D.

**Q**Uod saepe multumqve in votis habui, ut Te  
Amicum in Parnasso Rostochiensis olim meū  
videre iterum aliquando liceret, id fausto  
o mine nuper fortuna mihi obtulit, cum in  
Gryphico nostro Musarum illustri domici-  
lio plaudentibus bonis omnibus atqve Augustanae Con-  
fessionis festivitatem secularem grata memoria recolentibus,  
summi, quorum in Academiis facultas est, honores Tibi conferrentur,  
justumq; adeo, & quod dudum debebatur, meritis Tuis pretium  
statueretur. Tanta vero hanc ob rem animus meus voluptate  
perfusus est, ut temperare mihi non possim, quin gratulationem  
meam praesenti Tibi ore factam absenti etiam scripto repetam  
atq; votivis tot aliorum, qui bene Tibi cupiunt, acclamationibus  
publice subscribam. DEUM itaq; veneror, ut novos honores  
omnibus modis felices Tibi esse, instituta Tua, consilia,  
rationesqve sacri muneris ex sententia cedere jubeat,  
ac sospitem Te conservet, ut diutissime in hoc fastigio  
perstes omnibusqve fortunae bene-

beneficiis perpetuo atque largissime fruaris. Hæc votorum meorum summa esto. Nunc vero & de rebus ad doctrinam pertinentibus Tecum communicare liceat atque de vocabuli *sectæ* ad cætum sociorum Augusti: Confessionis habitu pauca differere. Latinas vocis origines omnes agnoscunt, sed à quonam ea fonte descendat, duplex Grammaticorum opinio est: aliis à verbo frequentativo *sectari* i. e. assidue aliquem sequi, aut partibus ejus studere eam derivantibus: aliis autem ad verbum *Secare*, quod sciendendi atque dividendi notionem habet, familiam ejus referentibus. Quæ ultima mihi propterea sententia probatur, quod Ideæ, quam vocabulo *sectæ* alligare consuevimus, magis respondet. Quoties enim de *secta* cogitamus, toties imago separationis & divisionis, in doctrina menti nostræ obversatur: Id quod arctiorem hujus vocis cum verbo *secare*, quam cum verbo *sectari* cognationem infert. Auget rei verisimilitudinem, quod græcorum lingua *Ἀρσείς Secta* dicitur. Cujus notio ejusmodi electionem involvit, quæ cum factione paria facit. Unde compositum *Διαρσείς*, quod inde exsurgit, nil nisi divisionis ideam offert. Nativo itaque significatu nomen *sectæ* divisionem designat aut separationem, quæ hominum animos in diversa trahit. Atque adeo indole sua & natura ex eorum numero est, quæ moralem indifferentiam habent & græcis *μέσα* vocantur. Neque enim omnis separatio vitium, sed, quæ justis rationibus innititur, laudem habet. Hinc *sectarum* inter antiquos gentilium philosophos frequens in Historia Literaria, sed sine vituperatione, commemoratio est. Verum, cum sicut nummi, sic & vocabula valent, consuetudine atque instituto hominum ab ætate inde na-

scientis Ecclesiæ christianæ deteriori sensu accipi cœpit,  
 Ita Paulus *Act. XXIV. 14.* imprudenter Judæos veritatis  
 cœlestis doctrinam, quam ipse amplectebatur, *sectam*  
 nuncupasse ostendit. Sed Pharisæismum hoc nomine  
 insignire, nullus ipse dubitat *Act. XXVI. 5.* Scilicet dispar  
 ratio est eorum, qui veritates naturali lumini intelle-  
 ctus pervias scrutantur & qui divinitus revelatas dis-  
 quirunt. Etsi enim utrobique una sit veritas, unaq̃  
 esse debeat, ob imbecillitatem tamen humani ingenii  
 fieri non potest, ut hominum omnium in scientiis ad  
 rationem pertinentibus eadem placita sint. Sed, cum  
 non una eademque ad investigandam veritatem via in-  
 cedunt, neque eisdem principiis utuntur, varia inde  
 sententiarum divortia, variæ *sectæ* oriuntur. Tan-  
 tum tamen abest, ut vituperanda hæc sit discordia, ut  
 industriæ potius humanæ in veritate indaganda argu-  
 mentum illa præbeat, facileque adeo excusationem in-  
 veniat. Sed veritatum divinarum certissimum atq̃  
 indubitatum revelationis principium est. Unde in Ec-  
 clesia, ubi unus spiritus unaque regnare fides debent,  
 dissensio omnis atque à veritatis regia via secessio cul-  
 pam habet. Nulla hic, quæ veniam mereatur, nulla  
 sine sceleris nota locum habere *secta* potest. Ut *sectariis*  
 homines, quæ patet Christiana Ecclesia, male au-  
 diant. Mea igitur sententiâ citra gravissimam inju-  
 riam Augustanæ Confessionis non variatæ sociis & in-  
 sensu Ecclesiastico talibus eorundemque de rebus fidei  
 doctrinæ *sectariis* atque *sectæ* infame nomen tribui haud  
 potest. Non enim, qui veritatem divinitus revelatam  
 profitentur & viam salutis cum Paulo sequentes DEUM  
 colunt, quæve tradita sunt divino oraculo Mosis atque  
 prophe-

prophetarum credunt, sed qui à veritate & via illa salu-  
tari turpiter desciscunt atque etiam cum obstinatione  
animi id agunt, ut perversas semitas, in quibus ipsi  
peribunt, in aliorum perniciem commendent, divisi-  
ones & *sectas* faciunt proque *sectariis* se gerunt. Unde  
calumniantur atque in cœtum nostrum A. C. additum  
hostilem animum produnt Fanatici, quos inter *GODOFR.*  
*ARNOLDUS* familiam ducit, quod *secta* atque *sectariorum* no-  
tam ei inurere student, nullo alio convitii argumento,  
quam quod ipso illo inæstimabili fidei symbolo religio-  
num indifferentissimo, quem tanquam Junonem suam  
depereunt, claustra objecta vident. Doleo itaque *Cl.*  
*HEUMANNUM* in ea, quam ipso hoc anno Jubilæo de *leni-*  
*tate* A. C. emisit, *Disputatione p. 13.* non satis caute se ges-  
sisse eumque verborum suorum tenorem fecisse, ut Ec-  
clesiam Protestantium nostratam *sectam* dixisse videri  
possit. Spero tamen meliorem verbis Viro men-  
tem fuisse, eumque alia id occasione ostensurum esse, cum  
ipse, qua est literatura, vim vocis hujus atque turpitu-  
dinem ignorare non possit. Vel millenis exemplis com-  
probari posset, *Sectarum* semper in digressionem à divina  
veritate sitam indolem fuisse. Sed in unico acquiescam  
ego, quod patria Historia luculentissimum sistit. Collu-  
vies hominum utriusque sexus annum circiter 1440.  
clandestina de religione turpissimaque consilia jungebat  
vel ipso *PUTZKELLERORUM* monstroso nomine sacrorum  
absurditatem suorum spirans. Bardensem hæc pestis pro-  
vinciam afflaverat. Si dogmata quæris & instituta?  
Horrenda erant. Infernalium spirituum post seculi finem  
à cruciatibus suis liberationem futuram. Hos cœlum  
cum suis occupaturos, Christumque inde mutata scena  
a 3 pulsu-

pulsuros esse infernalibus ipsi furiis correpti somniabant. Conjugalis foederis nulla apud illos religio, qui promiscua lascivia corpora invicem publicabant. Precum nefanda profanatione insaniebant ipsam Domini Orationem temeraria adulteratione sic effidentes: *Bader use / Sulder-buse / to voreu werest du baven us / nu bist du under us*. Atque tantopere in his omnibus sibi placebant, ut neminem unquam his sacris, scilicet! additum paupertatem passurum, confidenter sibi persuasum haberent. Vnde sacramenti etiam fide eisdem se immoriturus spondebant. Si qui eorum in templis publico cultui Numinis intererant, quasi quæ CHRISTI memoriam revocant, ferre omnino non possent, ad elevationem crucis aut orbicularis hostiæ vultum avertent. Hoc se internoscere signo. Conventicula nocturna secretis locis frequentabant. Hic scelestæ consuetudine inter se utebantur. Hic sacris operabantur abominandis. Ita, cum ex occulto omnia agebant, venenum hoc subinde latius fundebatur. Neque ex plebe tantum homines contagio suo inficiebat, sed ad non infimi etiam ordinis multos pervadebat. Tringinta continuos annos delirantium isthac progenies stetit. Ad ultimum, ubi divinam patientiam consumserant, res omnis in nervum erumpebat. Forte enim, cum in celebrandis nefariis ritibus versarentur, diabolus, cujus advocatus agebant, in medio ipse erat atque puellam, quæ gregi intererat, subito è conspectu omnium abrepta debitam cultoribus gratiam referebat. Hic tragœdiæ funestus finis fuit. Ut solent opera diabolica omnia exitu esse misera. Fide Historicorum nostrorum narrata constant, quæ *sectæ* horrendum exem-



exemplum præbent. Eo enim haud immerito nomine à CRAMERO, MICRÆLIO, EICKSTEDIO, aliis denotatur. Quid vero PUTZKELLERORUM, quo nuncupabantur, titulus sibi velit, non satis interpretari audeo. Conjicio tamen clericorum inventum fuisse. Nam, si quid recte opinati sunt nostrates nonnulli, Hussitæ fuerunt. Quibus, ut acrius odium hominum conflarent, inconditum hujusmodi nomen imposuerunt. Forte & pejorem, quam pro merito, dicam impegerunt. Saltem non infreqvens pontificiis hoc artificium esse, ipsa Ecclesia nostrasuo exemplo haud ignorat, quam ante exhibitam Aug. Confessionem tam horribili facie depinxerant, ut, qui non viderant, neque homines Lutheranos crederent, sed monstra atque veras bestias esse. MICRÆLIUS *Synt. Hist. Eccl. L. III. Sect. I. Qu. 29.* PUTZKELLEROS cum Albingensibus, Begardis, Beginis seu Beguttis, Fratricellis, Besochis, denuc *Mölloder Völl-Brüdern* / Condormientibus & Fratribus de paupere vita in eadem classe ponit & quæ fuerit inter illos errorum concordantia, ex parte ostendit. Provinciam Bardensem, ubi grassata dicitur hæc *secta* consuetudo tunc temporis loquendi more non tractum tantum Bardum urbem circumjacentem, sed universam terram cis-Penanam sub se comprehendisse constat. In ipso tamen oppido Bardensi & proxime aditis villis latibula sua præcipua PUTZKELLEROS habuisse, sunt, quæ ad credendum me inducunt, probabiles rationes. Ecclesia Bardensis ditissima & ex totius provinciæ præcipuis Rectorem sive Pastorem Plebanum tunc habebat BERNARDUM MOLTZAHN è nobili & hodiernum florente MOLTZANORUM gente profatum, magnæ, ut ex  
monu-

monumentis temporum istorum apparet, auctoritatis virum, cujus sine dubio cura atque consilio his turbis tandem medela parata est. Ultra n. triginta annos munere hoc illum functum fuisse, publicis rerum antiquarum documentis edoctus sum. Denique de puella à diabolo subducta hoc addo, quod ex annotatione quadam KANTZOVII propria manu conscripta didici, fuisse illam genere DATENBERGIAM ex antiqua & nobili familia hujus nominis, quæ villas Oldenhagen, Glövitze, Wobbelkow, alias olim possidebat, nunc autem esse desiit, oriundam. Quæ res mihi indicio est, fuisse *secta* hujus, ut dixi, præcipuam sedem aut in ipso oppido Bardo, aut non procul saltem inde remotam. Prædia enim illa DATENBERGIORUM, quæ hodie partim Civitati Bardensi, partim vero & majorem quidem partem BOLTENSTERNIIS comparata sunt, ex eorum numero esse, quæ oppido huic proxime adjacent, omnes norunt. Quibus parentibus infelix puella ea sit edita, pro certo quidem mihi exponendum non sumo. Id vero ex vetusta quadam charta compertum habeo, quod Oldenhagæ GÖDEKE, & ALBRECHT, Wobbelkoviæ autem VICCO DATENBERG eodem hoc tempore domini fuerint. Sed vereor, ne modum Epistolæ scripturæ hoc genus meæ excedat. Itaque DEUM obtestor, ut Te cum Nobilissima & Elegantissima conjugæ Tuæ quam diutissime seruet. Dab.  
Gryphiswaldiæ die 20. Dec. 1730.





JK 804

ULB Halle  
004 526 04X

3



f  
80,

V317 n.c.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

4

EPISTOLA GRATULATORIA,

QVA

VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO,

# DN. CAROLO JOACHIMO SIBETH,

Pastori cœtus Mariani Sundensis, Judiciique causarum  
Sacrarum, quod in illa Civitate fovetur, Assessori  
fidelissimo prudentissimoque,

Honores Doctoris Theologi inter festiva  
Jubila in Gryphica Musarum fede ao. 1730.  
die 15. Dec. solenni ritu collatos  
felices apprecatur,

simulque:

*An SECTÆ Vocabulum Confessionis Augustanae genuinis  
sociis jure tribui queat, exquirat & secta PUTZKEL-  
LERORUM, quæ Patriam olim nostram turbavit,  
domesticum exemplum in scenam producit.*

## ALBERT GEORG SCHWARTZ,

Prof. Hon. & Fac. Phil. Adj.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis hæredum B. STARKII, Reg. Acad. Typogr.